

religionis et aliarum virtutum. Solum in sacerdotibus videtur esse quaedam specialis necessitas, quia proprio quodam modo destinantur ad cultum Dei; sed neque illis tunc erat necessaria exterior sanctificatio, vel consecratio, quia primogeniti, quasi jure hæreditario erant sacerdotes, vel poterant certe sola extrinseca deputatione ad illud munus destinari; quo sensu videtur dixisse Anacl. Pap., in dict. epist., antiquos illos Patres non obtulisse sacrificium sacerdotali auctoritate; illa scilicet, quæ data est Aaron, per unctionem sacram, et alias cæremonias a Deo institutas. Deinde, licet admittamus, fuisse tunc cæremonias ordinatas ad aliquam externam sanctificationem fidelium, non sequitur illa fuisse sacramenta; quia non significabant gratiam præsentem, nec præfigurabant futuram, nec talis significatio est per se necessaria ad cultum Dei. Tertia necessitas sacramentorum esse potest propter fidei professionem, qua ratione utitur D. Thomas in hoc art. 3, et ex illa generaliter colligit, debuisse esse sacramenta ante Christi adventum; unde videtur loqui et ratiocinari de toto illo tempore, etiam legis naturæ; ut patet, tum quia principia, quæ assumit, communia sunt illi statui, scilicet, quia homines semper fuerunt justificati in fide Christi, quam oportuit signis visibilibus protestari; tum etiam quia in solut ad 2, de utroque tempore legis naturæ et scriptæ conclusionem explicat, et in utroque dicit fuisse sacramenta, quamvis in modo institutionis et determinationis fuerint diversa. Nihilominus tamen ex hoc solo capite non possunt colligi propria ac perfecta sacramenta, quia professio fidei sine sacramentis proprie dictis fieri poterat multis aliis modis, ut per verba, per sacrificia, et per alias similes exteriores actiones; sicut nunc in lege gratiæ præter sacramenta habemus plures alios exteriores actus, quibus fidem profitemur. Quocirca, licet in sacramentis sit quidam peculiaris modus profitendi fidem et significandi spiritualem sanctificationem, qui ad perfectiorem cultum religionis pertinet, et ideo utile vel congruum fuerit, hunc modum profitendi fidem Christi venturi fuisse usitatum ante adventum ejus, ut fides ejus melius conservaretur, et homines ad illum suscipiendum paulatim disponerentur, non tamen necesse fuit, hunc modum cultus generaliter incipere a tempore legis naturæ, sed satis fuit inchoari tempore legis scriptæ; in quo propter hominum peccata fides erat obscurior et rarior, ac ratio magis obtenebrata. Præ-

terea, quamvis admittamus, aliquem sacramentorum usum debuisse esse in lege naturæ, satis esse videtur ille, qui in prima fidei professione, seu in illo sacramento, quod in remedium originalis peccati institutum fuit, exercebatur; nullum ergo est sufficiens fundamentum, ut asseramus fuisse in eo statu alia sacramenta.

5. *Objectio.* — *Respondetur.* — Dices: in lege naturæ fuerunt vera et propria sacrificia; cur ergo non admittimus fuisse etiam plura sacramenta vera et propria, et non unum tantum? Respondetur, non esse eandem rationem, quia, ut supra tetigi, et infra tractando de sacrificio iterum dicam, de ratione sacrificii per se solum est significatio moralis interioris cultus divini; quam significationem potest habere sacrificium ex hominum impositione absque speciali Dei institutione; at vero sacramentum proprie constituitur per significationem mysticam gratiæ sanctificantis, quam non potest habere certam et infallibilem, nisi ex divina institutione. Dices: quamvis primaria ratio sacrificii visibilis consistat in significatione invisibilis sacrificii interioris, tamen supposita fide Christi venturi, quam in lege naturæ homines habebant, poterant suis sacrificiis adjungere significationem mysticam, absque speciali institutione divina, solum per generalem instinctum fidei, quomodo probabile est Abel sua oblatione significasse ac figurasse sacrificium Christi; ergo eodem modo poterant tunc homines ducti fide instituere aliquas cæremonias ad sanctificationem aliquam hominum exteriorem, eisque adjungere significationem futuræ gratiæ Christi et redemptionis ejus; ergo potuerunt esse illo tempore hoc modo sacramenta. Respondetur hujusmodi institutionem et sanctificationem in primis non habere fundamentum. Deinde non sufficere ad perfectam rationem sacramenti, de qua nos agimus, ut patet ex definitione supra data; et quia illo modo essent nunc in Ecclesia multa alia sacramenta præter septem a Christo tradita. Unde bene advertit Soto, loco supra citato, antiquos Doctores, qui de sacramentis legis naturæ loquuntur, præsertim scholasticos, post Hug. de S. Victor. loco nuper citato, usos esse nomine sacramenti communiore significatione, qua oblationes, sacrificia et similia solent vocari sacramenta, non quia propriam rationem sacramenti habuerint, sed quia, cum eo tempore non fuerint perfectiora signa sacra, illis accommodatum est commune nomen.

6. *Impropria sacramenta non fuerunt necessaria ad salutem necessitate medii, sed necessitate præcepti.* — Ex qua doctrina colligitur, hæc sacramenta impropria, quæ in lege naturæ fuerunt, non fuisse simpliciter necessaria ad salutem necessitate medii, præter illud unicum sacramentum ad remedium originalis peccati institutum, quod saltem respectu parvulorum erat medium necessarium ad eorum salutem; nam de adultis fortasse alia est ratio, ut inferius dicemus. At vero reliqua sacramenta, seu potius sacrificia, et cæremoniæ externæ, non erant proprie necessaria media ad salutem, quia nec tollebant peccatum, nec conferebant interiorem sanctitatem ex vi sua, sed erant necessaria necessitate præcepti, quatenus erant determinata ad reddendum Deo cultum debitum, sicut erat necessarium honorare parentes, vel alios similes actus exercere. In quo est magna differentia inter fidem interiorem vivam, et exteriorem professionem ejus: nam illa est necessaria necessitate præcepti et medii, quia continet substantialem animi justitiam, et Dei cultum; hæc vero solum est necessaria ex præcepto, seclusa speciali institutione Dei; et ita fuit in lege naturæ, ut notavit D. Thomas in 4, dist. 4, q. 2, art. 6.

7. *Speciale aliquando fuit sacramentum in speciali familia.* — *Ad argumenta primæ opinionis responsio.* — Dico tertio, ex singulari Dei beneficio, et revelatione, interdum fuisse in lege naturæ in aliqua familia, vel gente, usum alicujus sacramenti proprie dicti, præter illud, quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati. Hanc assertionem constituo primo propter oblationem Melchisedech in pane et vino, quæ non solum habuit rationem sacrificii, et sacra oblatio erat, sed etiam res oblata habuit rationem sacramenti, ut in 4 tom. hujus 3 part., circa quæst. 22 D. Thomæ dixi, et indicat hic D. Thomas, ad 3; D. Augustinus, ep. 95, ad Innocent., ubi panem illum vocat sacramentum mensæ Dominicæ; et idem sentit Ambrosius, lib. 4 de Sacram., c. ult.; et Clemens Alexandrinus, lib. 4 Strom., in fine, dicens, Melchisedech dedisse in nutrimentum panem et vinum sanctificatum in typam Eucharistiæ; credibile ergo est, illud fuisse proprium sacramentum datum Melchisedech speciali instinctu, et revelatione divina, ut ritu solemniori et publico celebraretur. Quod fortasse interdum aliis nationibus accidit, nos vero de nullo alio id possumus affirmare, quia nec in Scriptura, vel Patribus habemus

fundamentum. nec erat id commune ac regulare in illo statu. Possumus vero a simili hoc confirmare, quia etiam determinatio sacrificiorum facta a Deo non erat communis et frequens in illa lege, et tamen interdum Deus ab aliquibus determinata postulavit sacrificia, ut de sacrificio Abraham constat Gen. 22; et de amicis Job, c. ult, lib. Job. Et interdum fieri poterat hæc determinatio, non quidem per expressam revelationem, sed per singularem instinctum Dei, sicut credi potest de Abraham, quando decimas obtulit Melchisedech, Genes. 14; et de Jacob, quando votum fecit dandi decimas Deo, Gen. 28, ut auctor est Hugo Victor., lib. 4 de Sacram., p. 12, c. 3 et 4, et D. Thomas, 2. 2, q. 87, art. 1, ad 3. Igitur eodem modo potuerunt eo tempore aliquibus dari propria sacramenta ex singulari Dei beneficio. Ratio vero solum est, quia licet hujusmodi sacramenta non essent necessaria in illa lege, tamen poterant esse utilia, et quod aliqua interdum fuerint, potuit esse conveniens ad Christi honorem, et ad prædicanda seu præfiguranda aliqua mysteria, quæ in lege gratiæ consummanda atque perficienda erant. Et ex his facilis est responsio ad fundamenta primæ opinionis. Ad rationes enim omnes respondetur, solum probare, in illo statu fuisse aliqua sacrificia, vel cæremonias externas, quæ late possunt sacramenta vocari. Probant etiam, potuisse sacramenta habere utilitatem in illo statu, et ideo, si aliquibus data sunt, convenienter atque utiliter dari potuisse, non tamen probant fuisse pro eo tempore necessaria, neque debita hominibus regulariter, juxta illius temporis statum ac vivendi rationem. Ad Doctores vero antiquos, qui de sacramentis illius temporis loquuntur, partim responsum est, sacramentorum nomine, sacrificia comprehendere et alios externos ritus divini cultus, quod evidenter constat ex Hugone et aliis; partim etiam dici potest, loqui generaliter de sacramentis, quia aliquod sacramentum commune fuit omnibus fidelibus in eo statu, et præter illud fuerunt alia non ita communia, sed ex singulari Dei beneficio aliquibus collata, ut dictum est.

DISPUTATIO V.

DE INSTITUTIONE ET NECESSITATE CIRCUMCISIONIS ET ALIORUM SACRAMENTORUM VETERIS LEGIS.

Circumcisio et legis naturæ et veteris legis fuit. — In hac disputatione agendum est de

reliquo tempore ab Abraham, usque ad Christum; et ideo non proposui in titulo de sacramentis in lege veteri institutis, ut circumcisionem comprehenderem, quia in lege veteri instituta non est, sed in Abraham initium habuit, mansit tamen in lege, et inter caeremonias legis veteris computatur, quia per illam coepit congregari specialis Dei populus, et ad specialem legem ejus suscipiendam praeparari; et postea fuit quasi proprius character illius populi, et professio, per quam aliquis illi legi se obligabat ac subiciebat, juxta illud Pauli ad Gal. 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*. Servabimus ergo in hac disp. methodum, quam in praecedenti tenuimus, ut prius de circumcisione, postea de reliquis sacramentis illius legis disseramus.

SECTIO I.

Utrum circumcisio fuerit verum sacramentum in remedium originalis peccati institutum pro filiis Abraham.

1. Quaestionem hanc valde difficilem reddunt varia dicta, et sententiae antiquorum Patrum, quia omnes fere, qui Augustinum praecessere, longe aliter de circumcisionis institutione, quam Augustinus et qui eum secuti sunt, sensisse videntur. Conveniunt quidem omnes circumcisionem fuisse verum sacramentum, quia id satis aperte docet Paul., in epist. ad Rom., ut postea dicemus; differunt tamen, tum in tradenda ratione institutionis ejus, tum etiam in primaria illius significatione declaranda.

2. *Prima sententia dicit fuisse quidem sacramentum, non tamen in remedium originalis.* — *Probat ex Patribus Graecis.* — Prima ergo sententia fuit, primariam rationem tradendi circumcisionem tantum fuisse ad consignandum peculiarem Dei populum, eumque a caeteris gentibus distinguendum, non vero in remedium originalis peccati; unde fit circumcisionem quidem fuisse caeremoniam ad aliquam sanctificationem illorum hominum institutam, quia per eam dedicabantur homines specialiter ad cultum Dei, quae merito dici potest quaedam sanctificatio; non tamen fuisse institutam ad internam sanctificationem conferendam; unde fit, non significasse gratiam, quae in illa daretur; significavit tamen ex divina institutione baptismum, et circumcisionem spiritualem per Christum conferendam, et hinc censetur habuisse perfectam ra-

tionem sacramenti. Hanc sententiam primo docere videtur ex Graecis Patribus Justinus Martyr, dialog. contra Triph., aliquantulum a princ., dicens: *Circumcisionem accepit Abraham significationis gratia, non justitiae, idque et sacrae Scripturae, et res ipsae nos cogunt confiteri*. Secundo Iren., lib. 4 contra haer., c. 30: *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiae, sed in signum dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abraham, quod ex ipsa Scriptura dicimus*; et deinde adducit verba Gen. 17: *Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit signum testamenti inter me et vos*. Quae verba confert cum illis quae habentur Exod. 21: *Sabbatha mea observabitis, eritque signum vobis apud me in generationes vestras, et illa Ezech. 20: Sabbatha mea dedi eis, ut sint in signum inter me et ipsos*. Ex quibus exemplis colligere vult, solum fuisse caeremoniam quamdam ad congregandum populum Dei, et distinguendum eum ab aliis. Postea vero de significatione subdit: *In signo ergo data sunt haec; non autem sine simbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quae a sapiente artifice darentur, sed secundum carnem circumcisio circumcisionem praefigurabat spiritualem; etenim nos (ait Apostolus ad Coloss. 2) circumcisi sumus circumcisione non manu facta*. Tertio, Chrysostomus, hom. 27 in Gen.: *Voluit circumcisionem lege sanciri, non quod ad salutem animi haec proficere aliquid posset, sed ut hoc gratitudinis indicium, quasi signum et sigillum circumferrent Judaeorum pueri, et ne eis liceret contaminari gentium commistionibus; propter quod Paulus, ad Rom. 4, circumcisionem vocat signum, nam ad justitiam nihil ipsa conducit; idem hom. 39, in fine; expressius 40, in fine, ubi dicit: Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam haec sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, et ab aliis gentibus sequestrarentur Judaei; nostra autem circumcisio baptismatis (inquam) gratiae medicinam habet*. Quarto, Cyrill., lib. 4 in Joan., c. 24: *Lex circumcisionem introducit carnis, quae nihil est, ut Paulus ait; Dominus autem circumcisionis spiritus; et lib. 11 contra Julianum, ad finem, de circumcisionis ratione et institutione disputans, nullam mentionem facit remedii peccati, neque aliam significationem, quam circumcisionem cordis in spiritu: Et absurdarum, inquit, concupiscentiarum, et voluptatum abjectionem significat, quam per Spiritum Sanctum in nobis*

omnibus Christus operatur. Quinto, Eusebius eodem modo explicat circumcisionis institutionem, lib. 4 de Praep. Evang., c. 40, et lib. 4 Hist., c. 4, ubi circumcisionem comparat, et aequalem facit aliis caeremoniis legalibus, et solum illi tribuit esse figuram et signum futurae gratiae. Sexto, eodem modo loquitur Epiphani., haeres. 8, post medium, et clarius haeres. 30, non longe a fine. Septimo, Orig., hom. 3 in Gen., late, et Theodoretus, qu. 67, in Gen., ubi dicit circumcisionem nihil dedisse Abraham, neque Ismaeli; et hinc sumit argumentum probabile, nam Aegyptii, et alii populi, qui circumcidebantur, dicuntur impii in sacra Scriptura; signum ergo est, non fuisse justificatos in circumcisione. Unde concludit: Non ergo circumcisio justos facit. Octavo, eodem modo loquitur Damascenus, l. 4, c. 26. Nono, indicat etiam Athanasius, oratione in illud: Omnia tradita sunt mihi a Patre meo, non longe a fine, dicens circumcisionem tantum fuisse notam, baptismum autem regenerationem continere. Denique idem docent OEcum., ad Rom. 2 et 3; et Theophyl., ad Rom. 4.

3. *Ex Patribus Latinis.* — Secundo principaliter ex Latinis Patribus, Cyprianus, l. 4 ad Quir., c. 8, hoc sensu vocat illam primam circumcisionem carnalem, quae evacuata est, per quam secunda spiritualis circumcisio promissa est, ac figurata; et probat illam non dedisse spiritualem circumcisionem, tum quod priores Patres sancti incircumcisi fuerint, tum etiam quia illud signaculum foeminis non proficiebat; idem epist. 59. Secundo, Ambrosius epist. 72, eodem modo sentit de circumcisione, nullumque discrimen inter eam, et alias caeremonias legales agnoscit, illamque circumcisionem carnalem vocat; quam in hoc a spirituali distinguit, quod illa corpus, haec vero peccatum amputet; et l. 4, de Abraham, c. 4, dicit, circumcisionem tantum fuisse signum, et super ad Rom. 4, negat aliquid justitiae Abraham contulisse. Tertio, eodem modo sentit Hieron.: lib. 4, in epist. ad Gal., circa illa verba cap. 3: *Cognoscitis ergo, quia, qui ex fide sunt, hi filii sunt Abraham, inquit: Circumcisionem, non ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit; quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus (in quo universarum gentium fuerat benedictio repromissa, et ab Abraham usque ad Christum multa erant tempora transitura) providens Deus, ne soboles dilecti Abraham caeteris nationibus misceretur et paulatim familia ejus*

fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit; et lib. 2, in fin., circa illa verba, c. 5: *Neque circumcisio aliquid valet, quamvis exponat, hoc intelligendum esse post Christum Jesum, nam antea aliquo modo utilis fuit, dicit tamen, ideo utilem Judaeis fuisse, quia illis credita sunt eloquia Dei, quae in opera vertentes, a salute extranei non fuerunt; et infra dicit, etiam valuisse ad obtinendas benedictiones carnales, quae legem servantibus spondebantur. De utilitate vero circumcisionis ad tollendum originale peccatum, ne verbum quidem; et in id ad Rom. 4: *Signum accepit circumcisionis, inquit: Ne dicerent: Ergo superflue circumciscus est Abraham, signum dicit esse justitiae, non augmentum; quae verba fere transcripsit Anselmus eodem loco. Quarto, Tertullianus, lib. contra Judaeos, c. 3, de Abraham inquit: Acceperat circumcisionem, sed quae esset in signum temporis illius, non in praerogativam; et infra dicit, datam esse in signum populo Israel, ut dignosceretur, non in salutem; et cap. seq. late probat, circumcisionem non esse datam ad purgationem, seu justitiam. Quinto, auctor lib. de Altercat. Eccl. et synag., qui est in 6 tomo operum Augustini, late probat, circumcisionem non esse datam illi populo, ut ad aeternitatem per illam proficeret: et potissimum utitur illo argumento, quod remedia ad salutem sunt communia viris et foeminis. Sexto, Isidorus, lib. in Gen., c. 13, reddens causam circumcisionis, inquit: *Jam tunc propter peregrinationem futuram, ne commisceretur semen ejus inter gentes, datur ei circumcisio in signum his verbis: Circumcidetur in vobis omne masculinum; et infra: Sed quid aliud circumcisio significat, nisi renovatam naturam per baptismum, post expoliationem veteris hominis*. Atque eodem modo scribunt de circumcisione Gloss. et Lyr., Gen. 17 et 20.**

4. *Ex ipsis Hebraeis.* — Tertio et principaliter ex Hebraeis, Philo. lib. de Circumcisione, tom. 2, reddens varias causas et rationes, propter quas instituta est circumcisio, nullam mentionem facit originalis peccati; si autem circumcisio in remedium peccati esset instituta, haec fuisset potissima causa institutionis ejus, atque inter Judaeos celebrior ac notior esse debuisset; ad eandem rem citari solet Josephus, lib. 4 Antiq.; ibi tamen, cap. 18, commemorans circumcisionis praecipuum promittit se alio loco causas circumcisionis explicaturum, quod nullibi implevisse reperio.

5. *Ex loco Genes. 17.* — Quarto principaliter fundatur hæc sententia in loco Genes. 17, ubi circumcisionis institutio refertur, et nulla facta mentione justitiæ, vel remissionis peccati, solum dicitur: *Ut sit in signum fœderis inter me et vos; et infra: Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Ex quibus verbis colligitur datam esse circumcisionem ad signandum populum, quem Deus peculiariter eligebat, quoniam in illo Christus erat nasciturus, ut illius singulariter coleretur; providentiam, et ab eo specialiter coleretur; hoc enim erat pactum et fœdus inter Deum, et illum populum, cujus signum erat circumcisiō.

6. *Ex locis Pauli.* — Quinto, videtur hæc sententia colligi ex aliquibus Pauli locis, ubi dicit, circumcisionem nihil valere, ut ad Gal. 5 et 6, aut nihil esse, ut 1 ad Cor. 7; sed hæc loca non urgent, quia sermo in illis est de circumcissione post Christi adventum, et ideo dicitur: *In Christo Jesu, neque circumcisiō aliquid valet.* Locus autem ad Rom. 3, videtur magnam vim habere; nam cum interrogasset Paul.: *Quæ utilitas circumcisiōis?* respondet: *Multum per omnem modum.* Explicans autem hanc magnam utilitatem, nullam aliam affert, nisi quia credita sunt illis eloquia Dei. Ubi Theodoretus dicit potuisse Paulum multa enarrare beneficia, quibus Deus Judæos præ gentibus affecit. Elegit enim eorum majores, et ab Ægyptiorum potentia liberavit; ut clara esset eorum fama, et in ore omnium versaretur. perennis generis miracula effecit; legem ad auxilium dedit, Prophetas eis constituit; his autem omnibus silentio prætermisissis, solum legationem posuit, quia maximus hic honos est. Ergo, teste Paulo, solum est data circumcisiō, ut ille populus separatus a reliquis specialem Dei legem acciperet, et promissiones ac prophetias de Christo, de remissione autem peccati nullam mentionem facit. Quin potius paulo inferius dicit, ex operibus legis neminem justificari, sub quibus circumcissionem sine dubio comprehendit, et ideo ad Coloss. 2, illam vocat, circumcissionem manu factam in expoliationem corporis carnis, eamque a spirituali circumcissione omnino distinguit; et ad Phil. 3, vocat circumcissionem, fiduciam in carne, quia non erat signum spiritualis regenerationis, sed tantum generationis carnalis ex Abraham, in qua multum Judæi confidunt.

7. *Congruentibus rationibus.* — Sexto, adduci possunt congruentiæ, vel conjecturæ,

quas Patres citati indicant. Prima, et frequentius est, quia remedium peccati commune est masculis et fœminis. Secunda, ex Cypriano, quia remedium peccati non præcipitur differi usque ad octavum diem. Tertia, ex Hier. et Theod., quia populus in deserto non est circumciscus per 40 annos; remedium autem peccati non esset tanto tempore dilatum. At vero quia circumcisiō solum erat ad segregandum illum populum ab aliis, et eo tempore, quo erat in deserto, erat satis separatus a gentibus, ideo tunc non indiguit circumcissione; postquam vero cœpit commisceri populis gentium, omnes fuerunt circumcisci, quamvis sine dubio jam multis esset originale peccatum remissum. Quarta, quia priores Patres sine circumcissione fuerunt justificati; media autem ad justitiam acquirendam necessaria, eadem semper fuerunt ante Christi adventum.

8. *Secunda sententia circumcissionem in remedium peccati fuisse dicit.* — Primus hujus sententiæ auctor Augustinus. — Secunda sententia est, circumcissionem institutam fuisse, et datam populo Israelitico in remedium originalis peccati, ita ut remedium legis naturæ, quod de se indifferens erat quoad externam cæremoniam, determinatum fuerit ad ritum circumcissionis, pro filiis et posteris Abraham. Hanc sententiam ex Patribus, qui Augustinum præcesserunt, indicavit tantum Athanasius in orat. nuper citata, his verbis: Rebus autem ita constitutis, videtur circumcisiō data esse, ut auferretur vituperium terreni stemmatis ab Abrahamitis, quo in posterum non minus obnoxii huic maledicto, *Terra es, et in terram ibis*, ablatum est enim opprobrium delicti; id autem tunc factum est ad figuram hujus baptismatis, quod in Christo perficitur; tunc enim ex parte fiebat, utpote ad umbram, nunc autem, sicuti Apostolus ait, *Terrenam originem eruentes, per lavacrum baptismi regeneramur.* Sed revera Athanasius, si recte perpendatur, solum dicit, circumcissionem fuisse figuram baptismi, et repræsentationem quamdam regenerationis per illum perficiendæ. Apertius hanc sententiam docuit Cyprianus (si ipse est auctor operis de Cardinali Christi operibus), cap. de Circumcissione Christi, ubi sic inquit: *Hoc cum octava die jussum sit celebrari, et nomen circumcisiō aptari, intimatum est his, qui digni sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in caelis, et æternæ beatitudinis hæredes fierent et consortes; et infra*

cum dixisset, originale peccatum omni tempore aliquibus remediis esse expiatum, subjungit: *Propter hoc cum jam fidei tempora appropinquarent, imperata est circumcisiō.* Ambrosius etiam epist. 84, ad medium, ubi ex institutione circumcissionis veritatem peccati originalis demonstrat, et eandem vim existimat habere illa verba, Gen. 17: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo*, et illa Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Verum illa epistola non censetur esse Ambrosii, sed Prosperi. Primus itaque ac præcipuus et indubitatus auctor hujus sententiæ fuit Augustinus, qui 3 lib. contra Julianum, c. 18, sic inquit: *Responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumciscus octavo die fuisset, periisset anima ejus de populo suo? Explica, si potes, cur merito tanta pena plecteretur, nisi ab hac tanto sacramento liberaretur?* Idem repetit lib. 5, cap. 9, lib. 2 de Gratia Christi et Pec. orig., cap. 30 et 32, et lib. 2 de Nuptiis, cap. 11 et 12, et lib. 4 de Bapt., cap. 24, ubi dicit, ex circumcissione carnis, quam prior populus accepit, conjicere nos posse, quid valeat in parvulis baptismi sacramentum; ubi adducit etiam argumentum ex 4 Exod., ubi filius Moysis per circumcissionem mortis periculo ereptus est; et lib. 2 contra lit. Petilian., cap. 72: *Antiquus populus circumcissione pro baptismo utebatur; idem docet 15 de Civit. Dei, c. 16, et lib. 16, cap. 27, et lib. de Pœnit. et medic., cap. 5, et lib. 5 Hypogn., a medio: Circumcisiō, inquit, illa octavæ diei gratiam baptismi gestabat, et parvulus, qui ea fraudatus est, delicto, quod ex Adam traxit, non caruit; et tract. 20 in Joan., dicit, ideo circumcissionem solitam esse dari etiam in sabbato, quia sanctificationem afferebat, a quo non erat in sabbato vacandum. Unde Christus, Joan. 7, dicebat: *In Sabbato circumciditis hominem, et mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbato.**

9. Secundo, Augustinum sequuti sunt posteriores Patres, Greg., 4 Moral., cap. 2 et 3, et habetur in c. Quod autem, de Consecr., d. 4, et apud Ivonem in decret., p. 1, c. 49. Prosper d. epist., et lib. de Promissionibus Dei, 1 p., c. 14; Isidor., lib. in Gen., c. 13, ubi eodem modo, quo Augustinus exponit illam comminationem: *Parvulus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, etc., ut infra videbimus. Bed., lib. 2 in Lucam, cap. 8, et hom. qua-

xx.

dam de Circumc., tom. 7, ubi dicit, tam circumcissionem, quam baptismum, tollendæ prævaricationis gratia posita esse; differre vero, quia illa non introducebat ad regnum, sicut baptismus; idem, lib. variar. quæst., q. 15, tom. 8; Bernard., serm. 3 de Circumc., serm. 2 de Assumpt. Virginis, circa fin., et epist. 77; Rupert. Abb., lib. 5, de Operib. Trin. in Gen., cap. 33; Hugo Victor., lib. 2 de Sacr., p. 6, cap. 3, ubi comparat in hoc effectu circumcissionem cum baptismo, et licet dicat verum esse, per baptismum aperiri januam regni, quod per circumcissionem non fiebat, tamen dicit hanc differentiam, non tam in ipsis sacramentis positam esse, quam in eo, quod passio Christi nunc est exhibitæ, quæ antea non erat.

10. Tertio, sententiam hanc secuti sunt omnes scholastici sine ulla opinionum diversitate, Magist. in 4, dist. 1, ubi D. Thom., Scot., Durand., Bonav., Richard., Palud., Gabr., et alii; idem D. Thom. hic et infra, q. 62, art. 6, ad 3, et q. 70, art. 4; Alex. Alens., 4 p., q. 7, memb. 7, art. 2 et seq.

11. Quarto, fundari potest hæc sententia in decreto Innocent. IV, in c. Majores, de Baptism., ubi primum dicit baptismum successisse circumcissioni. Deinde comparat illa verba: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, cum illis: Nisi quis renatus, etc.* Deinde concludit plus conferre nunc baptismum, quam olim circumcissionem, quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per sacramentum baptismi culpa remittitur, et ad regnum cælorum pervenitur; ubi quamvis Pontifex non intendat hanc veritatem definire, tamen cum hac sententia utatur, ut ostendat parvulos in lege nova esse baptizandos, sicut in veteri circumcidebantur, magnam certe huic sententiæ præbet auctoritatem.

12. *Præcipuum fundamentum.* — Locus Genes. 17, expositus. — *Lex divina et pactum et fœdus in sacris litteris appellatur.* — Augustinus aliter hunc locum Genes. explicat. — *Circumcisiō figura baptismi.* — Quinto fundamentum præcipuum quo motus est Augustinus ad hanc sententiam astruendam nititur verbis illis Gen. 17: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ad cu-